

teriorē etiam tum consequi vidimus, cūm, cæteris manenti- Phænom.
bus omnibus, quatuor ejus foraminula inferiora essent peni- XXIV.
tus obturata, adeoque nulla penitus interioris & exterioris
aquæ communicatio.

XIII. Non est quoque subticenda hæc alia circum-
stantia, quod in utroque illo casu, cūm ferme repletæ essent
utræque hydriæ, interior per intervalla subsilire paulùm &
mox iterum subfidere sit observata, (insimul ruetu quasi quo-
dam aut singultū crepitū in quolibet subsultu auribus per-
cepto) donec tandem, præponderante vasculo Z, suspensa
Prorsus maneret; quodque hæc omnia contigerint clauso in-
terim manente perpetim epistomio M. Eo verò recluso cūm
affunderemus aquam, sive per operculi foramen L, sive re- Phænom.
moto operculo, interior hydria non solùm non ascendebat,
sed etiam adeò adhærebat fundo perforato exterioris, ut inde
divelli se non pateretur, nisi multis porrò globulis plumbeis
onерato vasculo Z; aquâ interim per apertum epistomium
largiter satis effluente. Quamvis & illud facile concedemus
Viro ingeniosissimo, si maximè aut in hoc casu bini hydria-
rum fundi tam exactè committerentur, aut in illo altero or-
biculus ligneus fundo situlæ sic adaptatus esset, ut nihil omni-
no aquæ interflueret aperto interim foramine vel epistomio;
aquæ columnam nihilominus in orbem ligneum aut situlæ Phænom.
interioris fundum gravitaturam, perinde, ac si actu aqua se XXVII.
in commissuram insinuaret, uti loquitur alleg. lib. p. 408.

XIV. Cæterūm iis, quas hinc deducere nobis Vir lau-
datissimus passim allaborat, conclusionibus pro necessitate
Spiritūs alicujus Hylarchici, in epistolam sub calcem hujus
scripti appendicis loco subjungendam rejectis, enumerato-
rum hactenus Phænomenorum causas genuinas ita breviter
affignare conati sumus.

CONCLUSIO I. Quoniam orbiculi lignei in fundo si-
tulæ non perforatæ positi areæ superiori incumbit quidem
cylindrus aqueus spissior, inferiori verò & æquali areæ cylin-
drus